

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Caro siue corpus x  
cum fonte primo

Fateor nos gerere corporis nostri tutelam.  
Non indulgendum illi sed seruiendum nego.  
Multis seruiet qui corpori seruit,  
qui pro illo nimium timet,  
qui ad illud omnia refert.

Honestum ei uile est  
cui corpus suum nimis carum est,  
huius nimius amor nos timoribus inquietat,  
sollicitudinibus onerat, et contumeliis obicit.  
Agatur eius diligentissime cura,  
ita tamen ut cum exigit racio, cum dignitas,  
cum fides, mittendum in igne sit.  
Sic gerere nos debemus  
non tanquam propter corpus uiuere debeamus,  
sed tanquam non possumus sine corpore.

Corpori tantum indulgeamus  
quantum bone ualitudini satis est.

Seneca XV. epistola.

Fateor insitam esse nobis  
corporis nostri caritatem;  
fateor nos huius gerere tutelam.  
Non nego indulgendum illi, serviendum nego;  
multis enim serviet qui corpori servit,  
qui pro illo nimium timet,  
qui ad illud omnia refert.  
Sic gerere nos debemus,  
non tamquam propter corpus vivere debeamus,  
sed tamquam non possumus sine corpore;  
huius nos nimius amor timoribus inquietat,  
sollicitudinibus onerat, contumeliis obicit;  
honestum ei vile est  
cui corpus nimis carum est.

Agatur eius diligentissime cura,  
ita tamen ut, cum exiget ratio, cum dignitas,  
cum fides, mittendum in ignes sit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 14.1-2 (L. Reynolds ed., vol.1, p.34, ll.4-13).

Hanc ergo sanam ac salubrem formam  
vitae tenete, ut  
corpori tantum indulgeatis  
quantum bonae valetudini satis est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 8.5 (L. Reynolds ed., vol.1, p.15, ll.12-14).